

marium cum aër sit vitæ succendiculum & juxta Sendivogium occultus vitæ cibus, sine quo vix momentum vivere possumus, improporcionatè tamen, intempestivè & loco, cui ineptus, admissus, maximas inferre solet noxas, sicque dolores post partum miseras torquentes puerperas non raro auræ infelicis existunt fœtus, quod omnes ferè denunciant Præctici. Est enim tum nervoso generi frigidior aër infensissimus *s. aphor. 17. 18. 20.* tum imprimis utero incongruus; hinc ad eundem hiantem adhuc à partu excluso delatus, refrigerando finistros edit effectus. Vocamus in testimonium *Sylvium*, qui loco suprâ sæpiùs citato, non solum aëris extra admissi frigore, sed & linteorum justò frigidiorum improvidâ applicatione dolorum horum causam subministrari notat. Cui consentit *Platerus Prax. Med. de Dolor. ventr. t. 2. p. 531.* asserens: Dolores post partum oriuntur ab externo præcipuè aere, si statim, postquam fœtus prodiit, aër admittatur; dum enim uteri internum orificium adhuc amplum & apertum est, sique hæc loca non benè muniantur, uterusque sensim stringatur, in uterum irrumpens, eumque implens, dilatatum alioquin ex partu, non solum distendendo, sed & refrigerando afficit. Hæc *Platerus*. Tale quoque apud *Sennert. Prax. lib. 4. p. 464.* legimus, dum primam dolorum uterinorum causam aërem externum constituit. Ex dictis itaque clarum est, aërem non solum membranofam nervosamque irritare substantiam, sed quoque poros claudere, sanguinem intus cohibere & humores incrassare, notum. Undè tum per se, tum sanguinem ad grumescentiam disponendo nocere solet.

§. XII.

Cibus & Potus an noxam præbeant, examinatâ diætâ, gestationis tempore adhibitâ innotescet. Cum enim gravidis ex metu vel abortûs, vel nævorum in fœtum derivationis, sæpè aliquid concedendum, hinc tum picantes absurda & inconvenientia ingerant, tum frigidos, *δυσπέπτες* & mali succi cibos devorent, sicque ventriculo infirmiori existente, nec ritè concoquente, vitium quoque in tertiâ coctione minimè corrigendum,